




11705

1788, 7

DE
IVRISDICTIONE FEVDALI

IN

PRAEDIA SAXONICA ET LVSATICA
SENIORI EXTRA TERRITORIVM SAXONIAE
LVSATIAEQVE NEXV CLIENTELARI OBSTRACTA
NON COMPTENTE.



ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO GOTTLOB
BIENERO

IVR. NAT. ET GENT. PROF. PVBL. ORD.

A. D. XXIII. IANVARII MDCCLXXXVIII

H. L. Q. C.

D I S P V T A B I T

AVCTOR

FERDINANDVS GOTTHELF FLECK

SORAVIA - LVSATVS



L I P S I A E

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



DE
IVRISDICTIONE FEVDALI

IN
PRADIA SAXONICA ET LVSATICA
SINEROTI EXTRA TERRITORIVM SAXONICVM
LVSATICOVE REIVS CIENTIARI ORIGINATA
NON COHESIT

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P. A. S. I. D. E.
D. CHRISTIANO GOTTLIBO
BIENNERO

AVTORITATE P. A. S. I. D. E.
A. S. I. D. E. S. I. D. E.
L. S. I. D. E. S. I. D. E.
S. I. D. E. S. I. D. E.

FERRIVNDVS GOTTFRIED FIECK
L. S. I. D. E. S. I. D. E.
L. S. I. D. E. S. I. D. E.
L. S. I. D. E. S. I. D. E.



M A G N I F I C O

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO IVRIVM CONSVLTISSIMO

DOMINO

D. ADOLPHO CHRISTIANO
WENDLERO

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE A
CONSILII AVLAE ET REGIMINIS CONSVLI ET SCABINO
VRBIS LIPSIENSIS LONGE MERITISSIMO

NEC NON

AMPLISSIMO IVRIVM CONSVLTISSIMO DOCTISSIMO
D O M I N O
IOANNI CHRISTOPHORO
HORNEMANNO
CANCELLARIO MONASTERII NEO - CELLENSIS
MERITISSIMO
PATRONIS ET FAVORIBVS
SVMMO PIETATIS CVLTV PERSEQVENDIS
HANC EXERCITATIONEM ACADEMICAM
SACRAM ESSE IVBET
AVCTOR

De origine iurisdictionis feudalis.

Nullam antiquissimis temporibus, introducto mox nexu clientelari, propriam et distinctam in praedia feudalia personae vasalorum iurisdictionem inueniri, dubitationi obnoxium amplius haud videtur¹⁾. Omnia enim iudicia feudalia olim a iudice ordinario iure magistratus constituebantur, ita, ut cui in districtu quodam iurisdictione ordinaria competebat, ille etiam controuersias feudorum definire posset. Quanquam imperator *CONRADVS* lege anno 1037 sancita iudicium feudale confirmauit, fundamento tamen iurisdictionis feudalis haud immutato, iure magistratus intra curtem territoriumque exercitum fuit. At vero turbato praeiorum territoriorum statu et imperio ciuili labante, nexus feudalis praeualuit, atque nunc omnino tam senioris quam clientum intererat, propriam efformari iurisdictionem; id quod per medii aevi rationes facile processit. Nam bellorum priuatorum licentia necessitatem, nexum clientelarem inuendi et propagandi imponebat, ut et dominis plures ad vim repellendam bellum inferendum milites praesto essent; et praediorum possessores vinculo feudali contracto, praediisque in feudum oblati tutelam consequerentur. Quare fides uasallitica sanctissime habita dominisque conseruatio istius coniunctionis et ius cognoscendi ac definiendi res. et facta nexum feudalem concernentia magis, quam ipsa

1) Cf. *ILL. PRAES. et Ven. Praeceptoris diss. de originibus iurisdictionis feudalis ex iurisdictione ordinaria reperundis. HELLFELD de genuino fundamento iurisdictionis feudalis eiusque limitibus. Jen. 1753.*

subiectio civilis curae cordique fuit. Pace imperii publica conciliata, et iudicii perpetuis constitutis pristina haec forma conseruata fuit, cum vasalli singulari hac praerogatiua exornati, res suas in iudicio feudali disceptare mallent. Inde paulatim iurisdictio feudalis moribus maiorum introducta, et variis legibus imperii confirmata fuit²⁾.

§. 2.

De iurisdictione feudali in feuda extra curtem.

Antequam origines iurisdictionis feudalis in feuda extra curtem attingamus, quaedam de natura feudorum extra curtem dicere lubet. Ius Longobardicum feuda in curte et extra curtem quidem commemorat, sed alio sensu, quam in Germania deprehenduntur. Feuda in curte iure Longobardico ea, quae in praediis ducum, comitum, marchionum, iure domini ipsi competentibus constituta; feuda extra curtem, quae in districtu ipsis ad regendum vice sacra imperatoris demandato sita erant, nuncupantur. E contrario moribus Germanicis feudorum in curte ea, quae in prouincia, seu iurisdictione territoriali; feudorum extra curtem, quae extra fines territorii sita sunt, nomine veniunt. De his quidem nobis hic sermo erit. Eiusmodi feuda in prouinciis Germaniae reperiri, nemo, qui iuris feudalis scientis est imbutus, negabit. Exempli loco asserere liceat feuda quaedam Thuringica, diuioni Principum Saxoniae quidem subiecta, quae tamen dominium directum sedis Moguntinae agnoscent; qualia sunt Sondershusa, Keula, Seebach, Clatlad, eiusdemque generis alia, quae a duce Magdeburgico, rege Bohemiae et comitibus Rhutenis conceduntur³⁾. Plurima eiusmodi feuda ingrauescentibus malis mediæ aevi, quo omnia ad vires vniuersae pugnantium abibant, natales debent, quippe possessores praedia potentioribus imperii principibus alieni adeo territorii in feuda offerendo tutelam ac praesidium sibi comparabant. Sed eorum origines altius repetere ad rem nostram nihil attinet. Disqui-

ren.

2) Cf. PRAES, laudata *diff.* §. 23.

3) Cf. *Index feudorum regni Bohemiae extra Bobemiam in LVINIGII C. I. F. tom. II. pag. 7. §. 2.*

rendum potius videtur, ex quibus causis iurisdictio in feuda extra curtem in imperio Germanico efflorescere coeperit. Olim quidem omnes vasalli potestati iudicis ordinarii suberant, sed nexu clientelari extra districtum constituto, seniores nulla magistratus civilis habita ratione euocarunt vasallos, vt de causis feudalibus coram paribus curiae moribus maiorum disceptarent. Quod cum interdum in dubium vocaretur, legibus generalibus statutum fuit, vt vasalli dominorum iurisdictioni in causis feudorum subessent. Sunt quidem, qui hanc obligationem vasallorum ipso iure perfectam fuisse negent, quod multa pacta contractui feudali adiecta de se in curia feudali sistendo reperiantur. Sed nihil impedit, quo minus statuamus, legem hanc generalem ad feuda extra curtem quoque spectare. Pacta enim ad confirmandam obligationem addita fuerunt, ne vasalli potentiores iudicio domini directi se subtraherent.

§. 3. *Quae iura in decidendis causis feudalibus sint attendenda disquiritur.*

Magnam contentionem incidunt ii, qui subdifficilem quaestionem, quibus iuribus in definiendis causis feudalibus sit vtendum, dissoluere student. Alias enim leges et consuetudines in curia domini; alias in regione, qua praedium clientelare est situm; alias denique in loco vbi contractus feudalis est celebratus obtinere saepe inuenimus. Nonnulli causas controuersiae inspiciendas esse censent. Litem enim de re feudali seu iure ipsum feudum afficiente motam, secundum iura rei sitae decidendam, in controuersis vero contractum feudalem concernentibus leges loci, quo ille initus fuit, esse sequendas; actiones demum personales ex nexu clientelari contra vasallum institutas, ex iuribus curiae feudalis esse definiendas arbitrantur⁴⁾. Sed hi in illa re enucleanda studio iuris Romani nimium abrepti

4) Subscribunt huic sententiae HORN. *iurisp. feud. C. V. §. 39.* LVDOVICI *Lebns-Proceß C. XIII. §. 9.* STRYCK *exam. iur. feud. C. 1. §. 25.* STRYV. *Synagm. iur. feud. C. 1. apb. 12.*

abrepti videntur⁵⁾. Itaque alii aliam viam incedunt, in definiendis causis feudalibus iura eius loci, quo feudum est situm, nisi aliud conventionione expressa statutum sit, praevalere asserentes; ex analogia successioneis civilis, quae, quantum ad immobilia spectat, iuribus rei sitae aestimatur, argumentum petentes⁶⁾. Sed diversam rationem iuris civilis et feudalis esse, quis est, qui ignoret? nec opiniones plures recensere iuvat. Quanquam nuper SCHNAVBERTVS V. ILL. distinctionem attulit omnino non contemnendam⁷⁾, liceat mihi tamen in re tantis difficultatibus circumsepta ad BOEHMERI accedere sententiam, qui ius curiae sequendum esse statuit⁸⁾. Vnumquemque enim vasallum iuri curiae feudalis, nullo feudorum in curte vel extra curtem discrimine habito subiectum esse, animo vix fluctuare possum. Vasallus enim omnia iura domini directi agnoscendo, primarium illud et naturale domini ius agnovisse, nisi conventionione expressa contrarium appareat, absque dubio est praesumendus. Id quod etiam ex constitutione feudi et natura contractus feudalis, nec non frequenter ex litteris investiturarum, quae legum instar habendae sunt, dici potest. Exemplis tamen et argumentis iam a Boehmero allatis parco⁹⁾.

§. 4.

Forum feudale et illi agnoscere tenentur, qui privilegio de non evocando et foro privilegiato alias gaudent.

Fundata legibusque firmata iurisdictione feudali, duplex saepe vasallorum est subiectio a se inuicem secernenda, civilis et feudalis.

Haec

- 5) Innituntur plerumque l. 3. C. de aed. priv. l. 13. §. 1. communia praediorum l. 6. ff. de evict.
- 6) SENCKENBERG in prodr. iur. feud. app. IV. ad num. 16. p. 156. MOELLER distinct. feud. l. 5. VOETIVS in digr. de feudis no. 80. tom. II. comment. ad ff. p. 637. GRIEBNER de dominio directo in territorio alieno §. 7. not. C.
- 7) SCHNAVBERT in annotationibus ad Boehmeri principia iuris feudalis p. 46.
- 8) BOEHMER diff. de decisione causarum feudalium secundum ius curiae. Goett. 1763.
- 9) BOEHMERVS l. c. §. 80.

Haec si alii praeter magistratum civilem competit, illam plane impedire nequit, quemadmodum magistratus civilis nexum clientelarem eiusque iura seniori extraneo competentia agnoscere tenetur. Ex quibus efficitur, vt nec priuilegia de non euocando, nec praescriptio fori singularis aliudue priuilegium in fraudem domini directi allegari possit. Quanquam clericis exemptio a potestate saeculari concessa est, tamen iure optimo in causis feudalibus denegatur, vt praedia feudalia a laicis accipiendo, legibus feudalibus sese subiicere censeantur¹⁰⁾. Pari modo Austragae in regno Germanico recepti, auctoritate in causis feudalibus destituuntur¹¹⁾. Nec impedit Landfasciatus plenus, quo minus iurisdictio feudalis propriam et distinctam naturam retineat. Licet haec fere sint principia iuris feudalis, contrariam tamen in territoris Saxonis obseruantiam deprehendimus. Etenim iurisdictio in feuda extra curtem domino directo extraneo plane denegatur, vt omnes omnino lites et controuersiae de feudo motae a iudice loci, quo praedium situm est, cognoscantur ac definiantur; ex quo efficitur, vt omnes controuersiae feudales non iuribus in curia feudali domini directi uisitas, sed legibus Saxonis regi debeant. Duae has quaestiones proposita dissertatione complecti animus est. Quanquam statim praueideam rem tam arduam multisque dubitationibus obnoxiam a me ita expediri non posse, vt expectationi virorum doctorum satisfiat; tamen me ab iis, qui perlustrato libello rem omnibus numeris absolutam vix reperient, iuuenilis conaminis veniam impetraturum credo, cum partim decisione rerum propositarum lege scripta facta, destituamur; partim viam ab aliis iam tritam incedere non potuerim.

§. 4.

De autonomia Saxonum.

Omnem vim et auctoritatem quaestionum, quas delibare animo constitui, ad autonomiam Saxonum, praepremis ad priuilegium illud Saxo-

10) C. 5. X. de iudiciis, C. 6. X. de foro competir. V. ILL. PÜTTMANN
elementa iuris feud. §. 692. 2. feud. 20. 2. feud. 40.

11) LVDOVICI Lebus - Processus C. I. §. 53, PEEFFINGER ad Virriar.
C. IV. tit. V. §. 13. lit. a.

Saxonibus concessum, quod quilibet civis Saxo tam intra terram nati-
vitatís suae, quam secundum iura patriae vnice iudicandus sit, redire
censeo. Constat enim, Saxones ea lege et conditione Francorum
regno fuisse associatos, vt vterque populus pro vno in regimine pu-
blico totius regni haberetur; Saxones vero propria et olim iam con-
stitutata retinerent iura, ex quibus intra fines territoriorum suorum iudi-
carentur. POETA SAXO hac mentem intendit, canendo ¹²⁾:

„Tum sub iudicibus, quos rex imponeret ipsis

Legatisque suis, permitti legibus vti

Saxones patriis et libertatis honore.

Hoc sunt postremo sociati foedere Franci

Vt gens et populus fieret concorditer vnus

At semper regi parens aequaliter vni.“

Hanc autonomiam Saxonibus propriam successu temporis multi impe-
ratores confirmarunt. Sic e. g. HENRICVS II. se legem Saxonum non
corrumpere velle in aliquo, sed clementer in omnibus adimplere pro-
misit ¹³⁾. Nec non CONRADVM SALICVM proprios mores et leges
Saxonum confirmasse testatur WIPPO ¹⁴⁾, dum scribit: „*et reuersus rex*
de Ripuariis ad Saxoniam venit, ibi legem crudelissimam Saxonum secun-
dum voluntatem eorum constanti auctoritate roborauit.“ Alterum caput
autonomiae Saxonum in eo versatur, vt in patria iudicentur. Quan-
vis Saxones Carolo M. facultatem iudices constituendi, legatosque,
qui in facta iudicum inquirerent, mittendi concesserant, tamen ab
horum iniquis sententiis protuocatio ad ipsum imperatorem semper
patuit. Extincto Carolidarum imperio in ipsa Saxonia potentes omnino
existere duces et principes, qui quidem nexum feudalem subiectio-
nemque ciuilem regno Germaniae et imperatoribus non denegarunt,
sed tantum abest, vt renunciarent autonomiae suae; vt eandem po-
tius fortissime et constantissime tuerentur: ideoque ab antiquis tem-
poribus per medium aeuum ad nostram vsque memoriam manauit.

Ex

12) Cf. ECCARD. tom. II. comment. p. 21. f. in anal. Caroli M. ad an. 803.
ap. LEIBNIZIUM tom. I. p. 154. rerum Brunsvic.

13) Cf. DITTMAR Merseb. I. V. p. 368.

14) WIPPO in vita Conradi Salici apud RISTORIUM in scriptor. rerum
Germ. tom. III. p. 430.

Ex qua quidem autonomia iam medio aevo effectum fuit, ut ne praediorum possessores, qui nexum clientelarem cum seniore extraneo contraxerant, enocarentur, nec in curia domini sui a iudicibus, qui Saxones non erant, iudicarentur. Quamobrem nec iurisdictio feudalis in praedia Saxonica domino extraneo nexu feudali obligata fundari potuit; quamvis dominum directum eiusque iura in illa ipsa praedia, salva tamen et illibata subiectione civili, omnino competat.

§. 6.

Principes Germaniae intra terram natiuitatis a consortibus suis iudicatos fuisse.

Nos multis historiae Germanicae monumentis edocemur, sententias de causis principum imperii, ab eiusdem prouinciae, qua ille, ad quem lis spectabat, commorabatur, proceribus pronunciatas fuisse. Multis eiusmodi exemplis allegandis superfedeo. Sufficiat, quaedam modo ad opinionem meam adiuuandam delibare. De duce Boleslao Poloniae dicit DITTMARVS¹⁵⁾; „Tunc iterum se ad excusandum, et inobedientiam ad emendandum a Caesare vocatus in praesentiam eius venire noluit, sed coram principibus haec fieri postulauit.“ Notum est etiam exemplum Henrici Leonis¹⁶⁾ qui ideo se iniuste damnatum conquestus est, quod in loco natiuitatis, nempe Sueuia non fuerit iudicatus. Quocum multi alii principes hanc sententiam tuiti sunt, quod imperator ducem condemnare non posset, nisi intra terras ducis placitum statueret. Inter principes gentis Saxonicae in medium tantum asferre liceat exemplum Ottonis ducis Bauariae sub Henrico IV. de quo LAMBERTVS dicit¹⁷⁾: „rex principes Saxoniae, quod ex his oriundus esset — — sententiam super eo rogauit, qui eum tanquam manifesti criminis deprehensum reum maiestatis iudicauerunt, et si caperetur, capitali in eum sententia animaduertendum fore decreuerunt.“ Eodem modo caulam

B 2

Eg.

15) Dittmarus p. 402.

16) Cf. ARNOLD. LVBEA I. 1. C. 24. in rom. II. Scripior. Brunsvic. LEIBNITH p. 644. CONRADVS Vispergusis p. 296. SCHERTZ diss. de Friderici imperatoris iudicio de Henrico Leone.

17) LAMBERTVS Schaffnaburg, ad an. 1070.

Egberti Marchionis, Principum Saxoniae et Thuringiae iudicio tractatam fuisse reperimus. Ex his perspicitur, in ferendis sententiis semper ad terram patriam principis rationem habitam fuisse. Quod quanquam moribus maiorum certissimum atque extra dubitationem positum erat; imperatores tamen, uti id in iure non scripto facile fieri potest, contrarium interdum definiuerunt. Quamobrem principes et ciues nonnunquam rebus suis consultori, ius suum priuilegiis munire quaesuerunt. Liceat modo ex eorum numero commemorare priuilegium ATHELBERTI episcopi Moguntini, de ao. 1135. quod Moguntinis dedit, ut in Moguntinos non nisi sententiis iure domestico latis statui deberet. Maxime vero sub Friderico I. decreto imperatoris ad consilia principum Henrico Leoni inimicorum promulgato; imperatorem principes ad locum, quemcumque vellet accessere posse; metueudum erat, ne omnes causae extra territorium traherentur. Accesserunt praeterea principia appellationum iuris Romani et Canonici, quae peditentim saec. XIII. in fora Germanica irrepserunt. Sed resisterunt semper potentiores Germaniae principes, ne facultas iuris experiundi extra prouinciam coram imperatore aut alio daretur: quamuis non plane impediuisse videntur, quo minus in vltima instantia ad imperatorem prouocaretur. Quo etiam spectat AVREA BVLLA tit. XVI. quae fausit, ne a sententiis in tribunalibus Electorum latis ad imperatorem prouocatio esset, praeterquam in casu denegatae iustitiae.

§. 7.

Principes isti priuilegio renunciarunt quidem, sed ut ne subditi territoriorum Saxoniorum euocentur, hodieque valet.

Haec, quam commemoravi, imperii nostri Germanici conditio et forma usque ad Maximilianum I. obtinuit. Illius vero auctoritate principumque Germaniae consensu pax imperii publica ao. 1495. condita et ao. 1548. denuo confirmata fuit, his pactionibus, ut ne ciues imperii sibi inuicem armata manu, coadunatis hominibus, doloue malo viam inferrent, priuatisque bellis uterentur. Quare eodem tempore iudicium camerae imperialis ad iustitiam per totam Germaniam administrandam et lites principum cognoscendas ac definiendas consti-

stitutum fuit; cui se omnes principes Germaniae submiserunt. Non igitur est, quod dubitemus, quin principes Germaniae et Saxoniae hoc tribunal imperii agnoscentes praerogatiuis suis de non euocando, quibus antea gaudebant, tacite renunciauerint. At vero id ipsum proferri nequit ad subditos territoriorum. Hos enim neque in causa reali, neque personali euocari posse, testatissimum et ordinatione camerali confirmatum fuit¹⁸⁾: *Die Unterthanen in ihren ordentlichen Gerichten bleiben zu lassen.* Saxones hoc iure ab antiquissimis temporibus vsi sunt: id quod multis locis iuris prouincialis Saxonici comprobatur. SAXO l. I. art. 18. ait: „Das dritte ist, das man kein Urtheil so recht vor dem Reiche bei den Sachsen finden mag.“ L. III. art. 7r. „Denn also hat ein iglich Mann sein Recht nach seiner Geburt.“ L. III. art. 33. „Der König soll richten nach Landes Recht, da es innen liegt, und nicht nach des Mannes Recht, et l. III. art. 61. es mag Niemand Schultheiß seyn; er sei dann frei und gebohren von dem Lande, da das Schultheißenthum oder Gericht innen liegt.“ Constat igitur vnumquamque ciuem Saxonicum mediatum iudiciis ordinariis subiectum esse, nec aliter, nisi legibus patrii diiudicari posse. Ita crebro duces et electores Saxoniae contra receptionem legum peregrinarum iura patria pura et incontaminata protestationibus interpositis sibi referuasse legimus. Operae pretium erit, exemplum aliquod singularis tuitionis iuri Saxonico praeflitae allegare. Sanctionem Caroli V. auctoritate, recessibus imperii Wormatiensibus atque edicto Norimbergensi factam, qua ius repraesentationis inter collaterales, ita vt fratrum praemortuorum liberi, vna cum reliquis fratribus ad hereditatem patrii, loco defuncti parentis admittantur, receptum fuit, GEORGIVS dux Saxoniae, legibus Saxonice haud consentaneam ratus, rescripto improbauit¹⁹⁾; cui dispositioni suffragatus est AVGVSTVS Elector ao. 1572. haec praescribens: „Wir wollen aber mit dieser unsern Gesetz und Constitution das ius repraesentationis auf sächsischen Boden

B 3

den

18) ORD. CAM. de ao. 1495. tit. 25. Plures eiusmodi probationes reperies ap. ILL. PÜTTERVM in Institur. iur. publ. Germ. §. 297.

19) Rescripti Herzog Georgens zu Sachsen das ius repraesentationis in linea collateralis betr. de ao. 1522. in Cod. August. rom. I. p. 1043.



den unserer Lande nicht eingeführet haben, sondern unsere Meinung und Gemüth ist, daß es solchen iuris repraesentationis auch anderer Personen und Fälle successio haben auf Gleichheit oder Ordnung derer Graden allenthalben gesprochen und erkannt werden soll; wie es nach sächsischen Rechten versehen, und in unsern Lande gebräuchlich und Herkommens ist. Vterque princeps constanter vestigiis obleruantiae Saxonicae infulsit, quam depingit EPKO A REPGAV Iur. provinc. Sax. l. 3. art. 3; „Der zwischen dem Nagel und dem Haupt sich zu den Sip ziehen mügen an gleicher stat, die nehmen das Erbe gleich, der sich aber näher zu der Sip ziehen mag, der nimmt das Erbe zu voran. Ex hac constantia et stabilitate, qua Saxones semper moribus et legibus patriis inhaeserunt, ratio patere videtur, cur imperatore mortuo, vel impedito vel a dignitate Caesarea sommoto, Vicariatus proprius in terris iuris Saxonici fundandus erat, quem duci et electori Saxoniae conferri par erat. Etenim id AVREA BVLLA ²⁰⁾ innuere videtur, fanciens; eodem iure prouisionis illustrem ducem Saxoniae — frui volumus in his terris, ubi Saxonica iura seruantur.

§. 8.

De iurisdictione feudali in territoria et praedia iuris Saxonici.

Nexus clientelaris per Saxoniam omnino inualuit, vt non praedia tantum singula, sed maiora etiam territoria senioribus obligarentur. Equidem rem ex hodierno imperii statu existimando, territoria iuris Saxonici feudalia in mediata et immediata, quae olim feuda vexilli appellabantur ²¹⁾, distinxerim. Immediata imperii feuda et territoria iurisdictioni Caesareae esse subiecta manifestissimi iuris est; frequenter autem euenit, vt eorum possessores senioremore mediū acui sibi eligerent, cuius tutelae se commendarent. Quo quidem pacto regnum Bohemiae multa maioris momenti feuda extra ditionem suam acqui-

20) Aurea bulla C. V. §. 2.

21) Ius prov. Sax. l. III. art. 63. Sieben Fahnleben sind auch in dem Lande zum Sachsen, das Herzogthum zum Sachsen und die Pfalz, die Mark von Brandenburg, die Landgrafschaft zu Thüringen, die Mark zu Meissen, die Mark zu Lausitz und die Grafschaft zu Ascherleben.

acquirit; in quibus regi Bohemiae, domino directo, iurisdictionem feudalem competere cenfeo, ita tamen, vt controuersiae non iure curiae Bohemicae, sed iure feudali Saxonico definiantur. Testimonium exstat apud LVINIGIVM²²⁾, atque ipse LEOPOLDVS rex Bohemiae litteris clientelaribus ao. 1693. id agnoscat his verbis²³⁾: „So sie auch der Lehne halben zu Recht stehen werden, soll ihnen durch die Lehnen-Fürsten angesehen, daß die Lehnen in sächsischen Rechten gelegen seynd, noch sächsischen Rechten gesprochen; wie nicht weniger alle ihre Güter sonst vor keinen andern Rechten, Land-Tafel-Hof-oder andern Gerichten in keine Weis gefertiget werden.“ Plura argumenta afferre nolo, quippe res meo quidem iudicio dubitationi non est obnoxia. Transco ad alterum genus territoriorum et praediorum Saxoniorum, ad ea nimirum, quae superioritati territoriali Saxoniae et Lusatiae subiecta seniorem extra territorium vtrumque venerantur. Potestati territoriali Electoris Saxonici, et Marchionis Lusatiae esse subiecta manifestum est; sed singularis est iuris feudalis consuetudo, in eo posita, vt dominium directum quidem seniori extraneo haud denegetur; ipsi autem notio de feudis eorumque iuribus, exorta lite et disceptatione, plane non competat. Ipsa consuetudo in controuersiam cadere mihi non videtur; rationes vero inuelligare et promere difficile est. Equidem ex autonomia Saxonum et iure de non euocando repetendum puto. Cum enim principes Saxoniae iam inde ab Henrico I. tempore libera potestate regnarent, nunquam passi sunt, vt ciues et subditi sui iuris dicundi et accipiendi causa euocarentur. Inde manauit singularis illa, cuius meminimus, consuetudo, et ne possessor praedii Saxonici aut Lufatici ad dominum directum extra territorium vocaretur. Quamobrem necesse est, vt controuersiae etiam feudales apud iudicem praedii et vasalli ordinarium iure Saxonico auctoritate principis territorialis definiantur. Cum ante aliquot annos lis oriretur de successione in Dynastiam Lusatiae inferioris Lieberose appellatam, quae iure clientelari

prin-

22) LVINIG *corp. iur. feud. rom.* II p. 236.

23) Cf. *litterae inuestiturae regni Bohemici de an. 1693. quas exhibet WENZEL. XAV. NEWMANNVS A BVCHHOLZ de iurisd. feud. et de natura et prerogatiuis regni Bohemiae in app. docum. no. XIV. p. 636. apud IENICHEN. ib. iur. feud.*

principibus Bohemiae a Sternberg obligata est, eaque disceptatio plane feudalis esset, non apud curiam domini directi, sed in iudicio Lusatiae inferioris ordinario cognitio instituta et sententia lata; tandem Dresdae coram intimo principis Electoris consilio definita fuit. Illustre sane exemplum ad illam consuetudinem declarandam apprime vile.

§. 9.

Confessoria ex illo ipso praediorum Saxonorum iure deducuntur.

Hoc specialis terrarum Saxonicarum obseruantiae exemplo primum edocemur, secernendum in Saxonia esse dominium directum et iurisdictionem feudalem. Non enim domino directo extra territorium commoranti iura domini directi denegare possumus; quam iudiciaria potestas contentiosa ipsi competens haud sit statuenda. Ius enim domini directi ipsumque hoc dominium directum ex contractu feudali oritur, et cuilibet domino adeo rustico iurisdictione feudali alias destituto attribuendum est. Deinde efficitur, ut nexus feudalis potestati territoriali legibusque Saxoniae et Lusatiae tam nouis quam antiquis sit subiectus, et ipse dominus directus apud iudicem praedii competentem cum vasallo suo disceptare teneatur. Itaque inanis est apud nos, quae in aliis Germaniae terris, magis motibus agitatur, controuersia; vtrum dominus directus in feudis extra curtem actum contentiosae iurisdictionis inconsulto iudice ordinario explicare queat, si, ut in rem praesentem eatur, necessarium erit, ut puta, an executionem sententiae a se latae ipse peragere possit; an magistratum praedii civilem rogare teneatur. Porro nec moueri potest quaestio, ad quem interponatur appellatio, quippe omnia haec ex iure Saxonico iam satis definita et extra dubium posita fuerunt.

ULB Halle
005 482 992

3



1078





1705

1788, 7

IVRISDI

VDALI

PRAEDIA S
SENIORI EX

VSATICA
XONIAE

LVSATIAEQV

STRICTA

ILLVSTRIS IC

ORITATE

D. CHRI

TTLOB

IVR.

RD.

A. D. XX

XXXVIII

FERDINA

FLECK

EX

IA.

